

CASUS LIV. Parochus monetur, infirmum quempiam paulo ante confessum, esse in articulo mortis constitutum. Hinc ocyus sumit Ciborium, & currit ad infirmum. Quæritur 1. An in simili casu parochus Sacrum Viaticum manugestanti liceat currere. 2. Si parochus actu consisteret ad aram, an deberet interrompere Missam.

3. *Ad 1.* Non licet currere in tali casu: licet enim agatur de Sacramento summe utili infirmo moriturienti; hoc tamen Sacramentum non est absolute necessarium. Hinc nulla datur ratio excusans formalem indecentiam, imo & scandalum, quod præberet Sacerdos, si manu tenens Sanctissimum Christi Corpus curreret per plateas. *Ad 2.* Si infirmus actu est in ecclesia, aut prope ecclesiam, parochus debet interrompere Sacrificium Missæ, etiam post Consecrationem; quia ex una parte interruptio est levis, & ex altera parte utilitas in infirmum redundatura sufficientem rationem suppeditat, qua excusari possit interruptio. Si autem infirmus existat in loco admodum remoto ab ecclesia, Sacrificium Missæ non est interruptendum; quia, cum neccitas infirmi, qui supponitur jam fuisse confessus, non sit admodum urgens, reverentia Sacrificio Missæ debita exigit, ut non fiat talis interruptio. Nihilominus in hoc secundo casu possent intercurre circumstantiæ, ubi aliud agendum foret parochi; prout nempe prudens ipsi iudicium suggererit.

Vide *Absolutio. Cas. 2. 4. 5. 6. 12. 16. 22. 25. 32. Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Confessarius. Permutatio. Provisio. Residentia parochorum. Resignatio. Sigillum sacramentale. Simonia.*

## PASCUA.

1. *Pascua* vocamus loca illa, in quibus pecora & armenta pascuntur. Dicitur habere jus pascendi, cui licet per armenta sua depascere loca, quæ jure proprietatis ad ipsum non pertinent.

2. Præcipuæ regulæ ad jus pascuale pertinentes sunt: Si jumenta, armenta vel pecora præsentibus vel absentibus pastoribus depascant prata tali tempore vel in iis locis, in quibus pascuorum usus prohibitus est, Dominus, cujus sunt pecora, tenetur de damno ab iisdem causato. Idem quoque dicendum de loco, in quo pascuorum usus permissus est, si ibidem tenellis arboribus qualiscunque noxa a gregibus inferatur.

3. Vigent consuetudines Juri Civili Romano contrariæ, vi quarum proprietario loci, si forte in suo fundo deprehenderit pecora, eadem secum abducendi, & tamdiu domi suæ, donec illata damna resarciantur, detinendi potestas conceditur.

4. Jus pascendi potest acquiri vel ex titulo, vel per præscriptionem temporis immemorialis, ad quam probandam incolæ loci simile jus prætendentes non possunt admitti pro testibus.

5. Non licet ante primam falcem, id est primis graminibus nondum demessis ad pastum etiam in proprium agrum pecus educere.

6. Quælibet rucolarum communitas jure pascendi gaudens debet habere pastorem pro custodia gregum, ne cuiquam aliqua noxa aut pauperies ab armentis inferatur.

7. Circa hanc materiam observandæ sunt constitutiones Principum & jus provinciale, quod pro varietate locorum est varium.

CASUS I. Cælestinus cujusdam olim parochiæ Dominus territorialis spatium campestre quinquaginta vel sexaginta jugera complectens pagi illius incolis ad pascendos ibi greges suos concessit. Hos inter erant tres agricolæ reliquis opulentiores, qui singuli gregem quadringentorum ovium educabant in hoc arvo pascendarum. Conqueruntur cæteri duas non nisi vaccas habentes, vaccis suis a tanto ovium grege nullum amplius relinqui pabulum; quin etiam prætendunt, non licere agricolis greges suos ad hujusmodi pascua communia emittere, vel saltem numerum ovium ibidem pascendarum minuendum esse. Licetne præfatis agricolis reliquorum querelis insuperhabitis posthac, uti hucusque, frequentare hæc communia pascua? & supposito, quod hoc non possint salva conscientia, nec tamen abstinere, daturne obligatio ex parte Domini, ut agricolas, non obstante quod sint ipsius coloni vel conductores, cogat ad relinquenda hæc pascua?

3. Jus pascendi debet comparari cum aquis fluminum irrigandis agris aut pratis destinatis. Jam vero, moraliter loquendo, cuiuslibet debet concedi æqualis portio aquæ, nisi aliquis possit probare, majorem sibi quam aliis portionem deberi. *Fluminum publicorum communis est usus, sicuti viarum publicarum & littorum.* inquit L. *Fluminum. 24. ff. Lib. 39. Tit. 2. In his igitur publice licet cuiuslibet edificare; & destruere; dum tamen hoc sine incommodo cujusquam fiat. Leg. Fluminum ff. Damno infecto 2. Sc. lib. 3. tit. 2. Adeoque* quan-

quantum concernit pascua publica ac communia, horum usus debet distribui *ex æquo & bono*; ex quo proin sequitur, præfatis agricolis non licere salva iustitia per suos greges depascere totum arvom pascuis communibus destinatum, vel certe debere eos imminuere numerum ovium suarum. Quodsi pertinaciter renuant, a Domino territoriali cogendi sunt. *Pontas.*

CASUS II. Bertinus prædives agricola plurimos possidet equos, boves & vaccas, & immodicum arietum gregem. Ex his partem aliquam mittit ad depascendum pratam, quod ad ipsummet proprietatis jure pertinet. Possuntne tum dominus territorialis tum reliqui incolæ sese opponere ex eo capite, quod prima gramina nondum sint demessa?

ꝛ. Interesse boni publici exigit, ut privati propria sua conferrent, nec destruant, antequam ad maturitatem pervenerint. Adeoque iuste reliqui pagani sese opponunt Bertino, eoquod jubeat depasci primas herbas sui prati; nisi pratam hoc muro vel sepibus circumquaque clausum sit. Idem dicendum de agro jam seminato. *Pontas.*

## PATERFAMILIAS.

1. Quod Episcopus est in sua diocesi, id ipsum est paterfamilias in domo sua; & sicut Episcoporum est omni sollicitudine animarum sibi concreditarum salutem invigilare, sic & patrumfamilias est bonum tam spirituale quam corporale domesticorum suorum omni studio promovere: hinc in scriptis Patrum nil usitatus, nihilque occurrit frequentius, quam comparatio Episcopum inter & patremfamilias. Ut igitur patresfamilias, rectoresque familiarum etiam exiguarum ea, quæ muneris sui sunt, exacte impleant, in id potissimum incumbere debent, ut instruant vel ipsi per se vel per alios, corrigant, & ad Christianarum virtutum praxin ac iuge exercitium exemplo suo pertrahant omnes domesticos suos ea prorsus ratione ac obligatione, qua parentes tenentur respectu liberorum suorum. *Hortamini*, ait S. Augustinus Lib. un. de salutar. docum. *imperate, & quantum in vobis est, iis persuadete, ut evitent superbiam, detractionem, ebrietatem, fornicationem, & impudicitiam genus omne, indignationem, perjuriam, denique cupiditatem, quæ omnium malorum radix est.*

2. S. Carolus Conc. Mediol. III. ubi obligationes omnes Patrumfamilias paucis enumerat, ponit & hanc, ut domesticis missæ parochiali, Officiis divinis, concionibus, catechesibus,

fibus, publicis pietatis exercitiis, processionibus &c. diligenter interfint, ut ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchari- sticæ frequenter accedant, ut a conversationibus periculosis abstineant, & diebus Dominicis ac festis de præcepto opera servilia non exercent. Denique tenentur patresfamilias domesticis suis statuto tempore conventam mercedem solvere, & si fors eos ægrotare contigerit, Christiana cum charitate curare, ne quid subsidiorum tam spiritualium quam corporalium eis desit.

CASUS Timotheus paterfamilias famulum habet domesticum, qui antiquum & inveteratum erga alium famulum fovet odium, ita ut omnino eidem reconciliari renuat. Quid agendum?

ꝛ. Si adhibitis omnibus charitatis ac monitionum rationibus famulus hic cum altero in amicitiam redire nolit, ac insuper ad inimicitiam hanc fovendam domini sui autoritate abutatur, paterfamilias tenetur eum domo sua dimittere; quia alias ipsi ansam præberet in peccato persistendi. *Fromageau.*

Vide *Domestici. Liberi. Parentes.*

## PATRIMONIUM, TITULUS AD ORDINES.

CASUS I. Clericus quidam, qui docendo grammaticam singulis annis lucratur plusquam centum florenos, quærit, an non hoc solo titulo possit recipere sacros Ordines.

ꝛ. Non sufficit hic titulus; quia Tridentinum vel titulum Beneficii exigit, vel patrimonii, & quidem in bonis stabilibus ac solidis fundati. Sacra Congregatio Concilii interpretis olim ad quæstionem: *An ex lucris per artem musicam, per magisterium grammatices, per gradum Theologiæ, & hujusmodi aquis ad sacros Ordines promoveri aliquis queat;* respondit: *non posse, sed requiri omnino vel Beneficium, vel patrimonium ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficienti.* C. B.

CASUS II. Titius filio suo Clerico ad sacros Ordines recipiendos in patrimonium assignat omnia bona sua, quorum annui proventus 200. francorum summam excedunt; attamen cum hoc onere, ut ad dies vitæ victum ac vestitum ipsi præbeat.

ꝛ. Patrimonium hoc non est legitimum; ad hoc enim, ut patrimonium sit legitimum, requiritur, ut sit fundatum

in bonis stabilibus liberis, absque onere, quorum annui proventus 200. francos æquant. Sed conditiones hæc defunt patrimonio supradicto; quia enim excessus supra 200. francos non constituit summam sufficientem pro sustentatione patris, evidens est, quod deductis ad illius alimentationem necessariis, filio non remaneret integrum patrimonium ducentorum francorum. Et sic patrimonium istud non debet haberi pro legitimo. C. B.

CASUS III. Sempronius duos habet filios, & horum alterutri ad statum clericalem aspiranti in patrimonium assignat castellum cum omnibus redditibus; & id solum totam familiæ substantiam constituit. Potestne hoc patrimonium ut legitimum admitti?

ꝑ. Per se loquendo patrimonii hujus designatio, facta a patre in unius filii favorem, esset in præjudicium alterius fratris, qui portione legitimæ sibi debitæ privaretur; imo vergeret in damnum totius familiæ, quæ, si filius omnes redditus in suum usum converteret, non haberet, unde sustentari posset. Dicitur: *per se loquendo*; nam si pater haberet plenissimam potestatem disponendi de castello, & alter filius fratri suo jus sibi competens cessisset, designatum patrimonium deberet haberi pro legitimo. C. B.

CASUS IV. Chremes, licet opulentissimus, adduci tamen non potuit, ut filio suo ardentem ad sacros Ordines aspiranti, nec alium titulum habenti patrimonium assignaret. An non peccat?

ꝑ. Peccat graviter, nisi vocatio filii appareat ipsi valde incerta, vel filium judicet parum idoneum ministerio altaris ob ignorantiam, aut depravatos mores. Veritas hujus responsionis fundatur in jure naturali, vi cujus parentes tenentur providere liberis suis de honesta sustentatione in eo statu, ad quem a providentia vocati prudenter creduntur. C. B.

Vide Ordo, Sacramentum.

## PATRINUS.

1. Patrinus vocatur, qui infantem ex sacro baptismatis fonte suscipit, eidemque nomen imponit; unde patrinus fit quasi pater secundus infantis, spiritualis scilicet, dum nomine ejusdem fidei catholicam profitetur, fidemque pro illo suam Ecclesiæ obligat: hinc oritur obligatio patrini, curandi ac vigilandi pro bona educatione ac instructione infantis, saltem

saltem in defectu parentum naturalium; & quia Religiosi ac moniales, utpote viventes sub obedientia, non possunt satisfacere huic obligationi, etiam non possunt esse patrini & matrinæ: nec ad hoc munus admittendi sunt, nisi qui profitentur fidem Romano-catholicam, sufficienterque in præcipuis Religionis nostræ mysteriis instructi sunt.

2. Patrinus & matrina contrahunt cognationem spiritualem non solum cum patre & matre suscepti infantis, sed etiam cum ipso infante, ut declaravit Bonifacius IV. anno 607. Papa electus; cumque cognatio ista inducat impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, ne nimium multiplicentur ejusmodi impedimenta, Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 2. de reform. matrim. statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant. In Ecclesia orientali puellis non conceditur patrinus, sed solum matrina.

3. Ceremonia hæc ecclesiastica infantes ad baptismum præsentandi per patrilinos & matrilinas est antiquissima. Tertullianus in libro, quem ad finem sæculi secundi inscripsit, de baptismo, testatur, hunc usum jam ante sua tempora viguisse in omnibus locis, in quibus Religio florebat Christiana.

4. Ecclesia autem hunc ritum instituit 1. Ut patrini nomine Ecclesiæ offerant infantem Jesu Christo ad recipiendum per manus sacerdotis ejusdem ministri baptismum ab eo institutum, ut nos efficiat filios Dei: *hic est, qui baptizat.* 2. Ut, cum infans usum loquelæ necdum habeat, patrini nomine ipsius fidem profiteantur, ac loco ipsius promittant Deo & Ecclesiæ, ac sive jubeant, eum fideliter ac religiose adimplendum omnes obligationes in receptione Sacramenti contractas. In Ecclesia Salvatoris, inquit S. Augustinus Can. In Ecclesia. 130. de consecr. dist. 4. per alios parvuli credent, sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Et Can. Vos ante. 105. ibid. Vos ante omnia tam mulieres quam viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo. ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.

CASUS I. Natalis ex sacro baptismate suscepit infantem, qui octavo ætatis suæ anno utroque parente orbatur. Natalis, qui omnem pupilli curam abjecit, nec ab aliis instruendum curavit, estne gravis peccati reus?

ꝑ. Si parvulus iste adeo fuit neglectus, ut nemo prorsus curam habuerit pro ipsius institutione in rebus ad animæ salutem pertinentibus, Natalis absolute obligatur providere de ejus instructione. Doctrina hæc est complurium

Conciliorum: prætermisiss antiquioribus Remense de anno 1583. ait: *Paracus moneat susceptores, fidei pro suscepto sponsores esse, atque eos obligari, cum infans ad adultam aetatem pervenit, eum docere fidei rudimenta, seu symbolum... nisi id a parentibus præstari possit: hoc enim onus simul cum munere patrini in se suscepit Natalis. Pontas.*

CASUS II. Apollonius vicarius ad baptismum infantis admittit tres patrinos & tres matrinis. Fierine id potuit absque peccato?

ꝑ. Non potuit absque peccato tot admittere: egit enim contra expressam prohibitionem Tridentini loco supra citato sic decernentis; *Sancta Synodus... statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta; vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant... Si parochi culpa, vel negligentia, secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur.* Nec a peccato excusare sese poterit Apollonius prætextu ignorantiae; cum ex ipsa ratione status ac vocationis suæ teneretur icire, quæ Ecclesia hæc super re statuit. *Pontas.*

CASUS III. Nazarius parochus vocatus ad baptizandos simul duos infantes, ad unius baptismum pro patrino admittit Religiosum, & Beneficiatum ad alterius. An bene?

ꝑ. Religiosus neutiquam est admittendus, qui, cum sæculo renunciaverit, defunctis infantis parentibus non potest ejusdem curam gerere, utpote votis obedientiæ & paupertatis ligatus. *Placuit communi nostro Concilio, ait Eugenius Papa Can. Placuit. 8. 16. q. 1. ut nullus monachorum præsumat neque filium de baptismo accipere... neque aliis quibuscumque negotiis sese implicare. Sit clauistro suo contentus; quia, sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Et Concilium Antissiodorensis Can. *Non licet. 103. de Consecr. dist. 4. Non licet Abbati vel monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere* Disciplinæ hujus vix non ab omnibus Conciliis firmatæ ratio est, ne personis vitæ religiosæ consecratis præbeatur occasio contrahendi familiaritatem cum scæminis, quod hæc ratione titulo compatrum ac commatrum facile fieri posset. Quædam Concilia, ut Aquense anno 1585. celebratum, hanc prohibitionem extendunt ad omnes Clericos etiam scæculares in Sacris constitutos, & Beneficiatos. Concilium Remense id interdicit Clericis in locis residentiae suæ. S. Carolus autem sine ulla limitatione ac universim Clericos a munere patrini arcendos præcipit. *Pontas.*

CASUS IV. Eusebius nullibi inveniens patrimum catholicum pro infante mox baptizando, cum jam ultra baptismus differri non posset, admittit hominem hæreticum. An non casus urgentis necessitatis eum excusat a peccato?

ꝑ. Peccavit mortaliter, infideles enim, hæretici, imo etiam solum suspecti de hæresi, schismatici, excommunicati, peccatores publici, iique, qui necessaria ad salutem ignorant, nunquam acceptandi sunt pro patrinis, qui sunt patres spirituales infantis, & consequenter in conscientia tenentur in casu necessitatis eum instituere in omnibus, quæ fidem ac bonos mores concernunt, quæ de re sese sponsores sistant Ecclesiæ; id autem a memoratis personis expectari non potest. *Pontas.*

Vide *Baptismus. Impedimentum Cognitionis spiritualis.*

## PATRONATUS.

1. Patronatus res erat primis Ecclesiæ sæculis prorsus incognita: eo enim tempore fundatores ecclesiarum nec jus habebant nominandi ministros ad ecclesiam a se fundatam deservientes, nec ullam aliam præminentiam, ut expressis terminis declarat Papa Gelasius I. in duobus canonibus in Decreto Gratiani relatis, scilicet Can. *Pæ mentis. 26. & Can. Frigentius. 27. 16. q. 7.* Imo Ecclesia semper sese opposuit consiliis fundatorum laicorum presbyteros ad ministerium ecclesiæ nominare volentium; & nihil ipsis concedebatur, nisi simplex libertas comparandi in conventibus publicis fidelium, & processibus eorum. Haud inutile erit advertere hic lectorem, quod quidam Authores cum Glossa male intellexerint verba Gelasii Papæ, *processionis aditum*, ac pro eo sumpserint, ac si fundatoribus deberetur quædam dignitas aut præminentia, eo quod vox, *Processus*, in quibusdam legibus ac authoribus profanis in ea significatione occurrat: sed ipsemet Gelasius Papa præfata verba sumit evidenter in eo sensu, qui hic ipsis tribuitur; quod patet ex duobus aliis ejusdem canonibus, nempe Can. *Presbyteri. 3. dist. 24. & Can. Præcepta. 5. de Consecr. dist. 1.* Quod autem successu temporis fundatoribus concessum est, consistit in hoc: 1. Suppeditabantur ipsis ab Ecclesiis necessaria vitæ subsidia, dum, postquam bona sua donarunt ecclesiæ, forte in statum indigentiae relapsi sunt. 2. Ad excitandam pietatem eorum sensum refrigerentem permittebatur ipsis præsentio ministrorum idoneorum ad servitium ecclesiæ; quem usum postea Imperator Justinianus sua authori-

thoritate firmavit duabus desuper editis constitutionibus, & Concilium Toletanum anno 655. habitum confirmavit. Prærogativa hæc primitus soli personæ fundatoris conveniebat; postmodum autem extensa est etiam ad successores ac hæredes eorum.

2. Patronatus igitur est jus fundatoribus Beneficiorum, eorumque descendentibus concessum præsentandi collatoribus ordinariis personas habiles ad administranda Beneficia?

3. Patronatus vel est *ecclesiasticus*, vel *laicus*. Ecclesiasticus est *Potestas Clerico competens præsentandi instituendum ad vacans Beneficium*: & hoc jus potest Patrono ecclesiastico competere ratione rectoratus ecclesiæ aut dignitatis, vel foundationis ex bonis ecclesiasticis, ædificationis ecclesiæ, vel dotationis Beneficii. Patronatus laicus est *Potestas competens Laico præsentandi ad Beneficium*, dum nempe ex bonis patrimonialibus & sæcularibus ecclesiam fundavit vel ædificavit, Beneficium erexit, vel dotavit.

4. Jus Patronatus quamvis ex natura sua sit indivisibile, potest tamen possideri a pluribus conjunctim; & quando tum agitur de actuali ejusdem exercitio, quilibet pro se habet vocem suam; pluralitas autem suffragiorum prævalet.

5. Cum jus Patronatus tam realis quam personalis pertinet ad res spirituales, absque simonia seorsim vendi non potest; vendito tamen fundo, cui jus hoc annexum est, transit & ipsum in emptorem, sine peculiari tamen æstimatione.

CASUS I. Marculus pro ædificanda ecclesia parochiali præbuit fundum: Melonius sumptus atque expensas in fabricam suppeditavit: & Geremarus eidem constituit dotem quadringentos florenos annuatim persolvendos. Omne id factum est cum consensu Episcopi diocesanæ. Cuinam ex his tribus competit jus Patronatus?

ꝑ. Ex quo Episcopus consensit in ædificationem hujus ecclesiæ, ejusdem dotationem, & donationem fundi, singuli eorum gaudent impostero jure Patronatus. Et quoties quis fundat, exstruit, & dotat ecclesiam cum assensu Episcopi, eo ipso acquirit jus Patronatus, licet nulla interveniat stipulatio, qua illi hoc jus adscriberetur, nisi Patronus expresse declaraverit, se illud penes ecclesiam relictum velle. *Pontas.*

CASUS II. Veturius habet jus Patronatus in quadam ecclesia ob factam eidem donationem fundi. Contendit jam, non posse se privari prærogativa Patroni, nec juribus honorificis eidem annexis; quamvis fundus ille cum assensu

omni-

omnium loci incolarum a parcho & ecclesiæ curatoribus fuerit venditus Ferdinando, qui jus hoc, utpote fundo annexum, cum fundo empto ad se transiisse prætendit; atque ex hac ratione actionem in judicio adversus Veturium instituit. Potestne citra injustitiam litem hanc intentare, ac prosequi?

ꝑ. Si ecclesia vendendo fundum Ferdinando expresse sibi reservavit jus Patronatus, hoc nullatenus transit ad emptorem Ferdinandum, sed salvum ac integrum manet Veturio; qui proin frui debet omnibus prærogativis ac honoribus juri huic annexis. Si autem fundum vendidit absque expressa reservatione Patronatus, jus hoc, utique fundo inhærens transit *cum universitate* ad illum, qui fundi proprietarius, & novus possessor titulo emptionis factus est. Ita in simili causa decidit Alexander III. Cap. *Ex litteris*. 7. Lib. 3. Tit. 38. *Pontas.*

CASUS III. Menelaus acquisivit jus Patronatus ex dote sex domorum, quas cuidam ecclesiæ, cum ædificaretur, donaverat; sed has domos haud multo post penitus ignis absumpsit. Anistne Menelaus ex fortuito hoc casu jus Patronatus? Et si Paschasius novam sufficientem dotem huic assignet ecclesiæ, num jus Patronatus inde acquireret?

ꝑ. Excidit jure Patronatus Menelaus; sicut eodem jure privaretur ille, qui solum Patronus foret titulo constructionis, casu quo ecclesia funditus destrueretur. Paschasius autem, si novam ecclesiæ dotem assignet, inde jus Patronatus acquirit. Ita Fagnanus in C. *Quoniam*. 3. de jur. Patr. n. 59. Observandum tamen cum eodem Fagnano ibidem n. 60. quod ille, qui dotasset ecclesiam, ejusdem semper maneret Patronus, si ecclesia ex toto destrueretur; & is, qui eandem reædificaret, ipse quoque illius fieret Patronus conjunctim cum dotatore. *Pontas.*

CASUS IV. Cynthius vir perillustis, sed nominatim publice excommunicatus, fundavit, construxit, & dotavit consentiente Episcopo ecclesiam parochialem suæ dynastie, ut hoc modo viam sibi facilitaret redeundi ad communionem Ecclesiæ. Acquisivitne per hoc jus Patronatus illius ecclesiæ?

ꝑ. Non obstante censura competit ipsi jus Patronatus juxta Joannem Andream in C. *Nobis*. 25. de jure Patron. n. 3. Illud autem exercere non potest ante obtentam absolutio-nem. Licet utique excommunicato bonum opus facere, quale est fundatio, constructio, ac dotatio alicujus ecclesiæ, quibus titulis sacri Canones absque ulla restrictione jus Patronatus attribuunt. *Pontas.*

**CASUS V.** Galerius Patronus ecclesie parochialis jus suum vendere, vel in feudum dare cogitat. Potestne hoc fieri absque peccato?

ꝑ. Distinguendum duplex genus Patronatus, scilicet personalis & realis. *Personalis*, cum sit res mere spiritualis, nunquam vendi aut in feudum concedi potest; imo nec *realis*, si consideretur ut separatus a fundo, cui est annexus. Licite autem vendi, in feudum dari, aut quovis modo alienari potest fundus, cui jus Patronatus annexum est, quod dem ut inseparabile a fundo transit ad acquirentem fundi, juxta regulam juris 24. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. Hinc peccat gravissime Galerius jus Patronatus separatim vel vendendo, vel in feudum concedendo. *Pontas*.

**CASUS VI.** Florentius fundos suos annexum habentes jus Patronatus in hypothecam dedit Joanni pro asscuratione mille florenorum ab eodem mutuo acceptorum. Potestne Joannes exercere jus Patronatus?

ꝑ. Variæ circa hoc sunt Authorum sententiæ: attamen verior juxta S. Antoninum 3. part. tit. 12. c. 12. §. 2. opinio est, quod jus Patronatus *nec simpliciter, nec cum universitate possit pignori obligari*. Joannes ergo, cum solum sit creditor hypothecarius, & non dominus rei sibi oppignorate, nec aliud jus habeat, quam percipiendi usque ad pactum tempus fructus utiles fundorum, nec potest exercere jus Patronatus; sed illud Florentio remanet tanquam vero fundorum oppignoratorum domino, una cum aliis honorificis Patronorum juribus. *Pontas*.

**CASUS VII.** Diodorus Patronus laicus ecclesie parochialis cessit & donavit per modum eleemosynæ Patronatum hunc cuidam abbatiæ, pauloque post mortuus est. Desiderius filius ipsius ratu maximus jus hoc retraxit pro summa quadringentorum florenorum abbatiæ perfolutorum; mox autem ex viro docto percipit, emptionem hanc esse veram ac realem simoniam, seque proin non posse retinere hoc jus Patronatus; & hinc illud abbatiæ restitutum se promittit. Cum autem promissum exequi non posset nisi post menses aliquot, simulque eo ipso tempore vacaret parochia, quaeritur, an non saltem pro hac vice quempiam idoneum præsentare possit ad parochiam.

ꝑ. Jus Patronatus, ut ex dictis patet, est quidem transferibile, si fundus vendatur, cui inhæret; at vero, quia Patronatus, hujus parochiæ, ut in casu ponitur, fuit translatus in abbatiam titulo prorsus gratuito, scilicet donatio-

nis,

nis, naturam induit Patronatus pure ecclesiastici, juxta Bonifacium VIII. Cap. *Si laicus*. un. §. 1. L. 3. Tit. 19. in 6. & absolute non potest vendi. *Nec dictum jus Patronatus, ait Concilium Tridentinum Sess. 25. de reform. c. 9. venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant. Si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subiiciantur, & dicto jure Patronatus ipso jure privati existant*. Desiderius igitur in præsentem casu non potest exercere jus Patroni præsentando ad parochiam, quod per venditionem expiravit, provisione parochiæ ad solum collatorem ordinarium devoluta. *Pontas*.

NOVA. Tam venditor quam emptor ipso facto privati existunt tali jure Patronatus. Venditor non potest retinere pretium acceptum, ne videatur de sua malitia commodum reportare; sed tenetur illud restituere, non quidem emptori, utpote qui mala fide contra sacros canones emit, sed ecclesie, cui per simoniam injuria fuit illata.

**CASUS VIII.** Geduinus Patronus cujusdam parochiæ in Hungariam profectus est, bello contra Turcas interfuturus. Quindecim diebus post ipsius abitum vacat parochia, quam mox post biduum Episcopus pleno jure contulit Eustachio. Geduini filii vi procurationis a patre ante discessum sibi traditæ Reinardum patris nomine præsentant. Estne valida & canonica collatio Episcopi?

ꝑ. Quando Patronus vel in captivitate vel in regione valde distita detinetur, potest Episcopus conferre Beneficia ab ejus præsentatione dependentia, & quidem mox ut vacaverint, non expectatis quatuor mensibus Patronis laicis a jure pro præsentatione concessis; & hoc in favorem ecclesie, & salutem parochianorum. Procuratio a Geduino filiis relicta nulla est ac irrita, utpote facta ante mortem parochi, necdum vacante parochia; juxta Brillon v. *Patronatus*. n. 35. Et hoc rationi apprime conforme est; quia sic aspirantibus ad Beneficia omnis admittitur occasio vivis Titularibus necem machinandi, aut eorum mortem exoptandi: quapropter etiam non licet cuiquam promittere, aut a collatore vel Patrono petere Beneficium Beneficiato adhuc superstite. Eustachius igitur legitime ab Episcopo fuit provisus de vacante parochia. *Pontas*.

**CASUS IX.** Bertharius post mortem suam duobus filiis Philemoni & Paulo reliquit prædia, quibus erat annexum jus Patronatus ad quamdam parochiam 1000. florenorum annuorum reddituum, & ad simplicem capellaniam red-

ditus

ditus annuos 25. florenos proferentem. Philemon proponit Paulo consilium jungendi Patronatui capellanæ jus conferendi stipendium 150. florenorum pro sustentatione pauperis studiosi a protaparentibus suis fundatum; ut tali modo major foret æqualitas inter ambo jura Patronatus: Paulus probat consilium. An non intervenit simonia?

ꝑ. Sylvius, cui hoc dubium fuit propositum, Resol. var. V. *Jus Patronatus. V. Labe simoniæ.* Tom. 5. sic respondet. Si Patronatus amborum Beneficiorum, vel saltem pinguioris, pertineat ad filium natu majorem, nullum intervenit simoniæ vitium; cum hic possit sibi reservare jus vere sibi competens, alterum vero jus fratri juniori cedere, & consentire in unionem juris conferendi stipendium cum jure præsentandi ad capellaniam; hæcque conventio foret pure gratuita. Quodsi vero hæc jura ambobus fratribus sunt communia, ita ut uterque sit Patronus ad utrumque Beneficium & stipendium, conventio hæc foret simoniaca, & saltem tacite interveniret contractus, vi cuius temporale daretur pro spirituali, scilicet jus conferendi stipendium pro jure præsentandi ad Beneficium. Et hæc responsio eo verior est, quo evidentius patet, in secundo casu jus temporale conferendi stipendium uniri cum jure præsentandi ad capellaniam tenuem non alium in finem, nisi ut major sit æqualitas inter hoc jus, & jus præsentandi ad pinguem parochiam; & consequenter hæc compensatio fit mediante re temporali, quod est simoniacum. *Pontas.*

CASUS X. Alfredus Patronus cujusdam Beneficii simplicis hoc jus Patronatus donat alteri privato ea conditione, ut, quamdiu superstes sit Clericus ex determinata familia, hic semper præ aliis ad Beneficium præsentetur. (Quid censendum de hac donatione?)

ꝑ. Alfredus non potuit facere hanc donationem absque consensu Episcopi. Dein non potest juri Patronatus imponi novum onus, quale est obligatio præsentandi quempiam ex certa familia. Donatio ergo hæc est nulla ac irrita. *Fromageau.*

NOTA. Si fundator aut dotator cum consensu Episcopi sibi & suis hæreditibus reservarunt jus præsentandi quempiam ex sua familia ad Beneficium, maxime simplex, quamdiu idoneus haberi possit, ad improbandum non est; nec improbandum in Germania, ut exempla haud a levo rara demonstrant.

CASUS XI. Julianus jus Patronatus, quod habuit, cessit Bucherio consobrino suo intuitu multorum officiorum & obse-

obsequiorum ab eodem sibi exhibitorum, talisque justis de causis sibi notis. An non est simoniaca hæc cessio?

ꝑ. Non desunt Authores, qui ex principiis Theoreticis quæstionem hanc expedientes opinantur, posse cedi aut donari alteri jus Patronatus in compensationem præstitorum beneficiorum: in praxi tamen, spectatis circumstantiis ac intentione, quæ plerumque ejusmodi compensationes comitantur, id merito de simonia suspectum esse debet. Sic in hoc casu beneficia præstita sunt aliquid temporale & pretio æstimabile; jus autem Patronatus, quo illa compensantur, est aliquid spirituale. Et hinc, si hæc cessio non in se ipsa est simoniaca, ad simoniam tamen proxime accedit, bonis moribus adversatur, ac proinde nulla est; quoniam principiis nititur, quæ simoniæ januam ac viam aperiunt. *Fromageau.*

NOTA. Si cedens aut donans alteri jus Patronatus ex motivo intentionali remunerationis retineat hoc motivum, quod re ipsa prodere non tenetur; ac solummodo constet, donationem aut cessionem ex alio capite non esse vitiosam, poterit & debebit ea admitti ab Episcopo ut valida ac licita; cur ergo sit suspecta, si motivum illud in actu publico inter vivos vel mortis causa manifestetur? Aliud foret, si ex parte exhibentis beneficia ac obsequia intervenisset confidentia obtinenda suo tempore id genus remunerationis, aut ex parte accipientis facta fuisset spes aut promissio ejusmodi compensationis.

CASUS XII. Carifius nobilis laicus, cujus filius unicuique in exercitu objerat, fundavit monasterium puellarum, sibi que ac successoribus suis reservavit jus in perpetuum nominandi Abbatissam, prout a prima vice nominavit filiam suam per aliquod jam annos sacro Ordini adscriptam. Hærede masculo jam destitutus offert hoc jus Episcopo loci & successoribus ejus, ea tamen conditione, ut Abbatissa semper nominetur ex determinata quadam familia. An conventio hæc non est simoniaca?

ꝑ. Est simoniaca, & adversatur sacris canonibus, vi quorum semper dignior, aut saltem manifeste digna religiosis communitatibus præficienda est. Episcopus ergo non potest sub hoc onere, quod in bonum temporale cederet prædictæ familiæ, cessionem Patronatus acceptare. Si tamen ex circumstantiis res hæc dubia fieri posset, petenda foret approbatio summi Pontificis, ut hujus autoritate simoniæ vitium vel præcaveatur vel tollatur. *Fromageau.*

CASUS XIII. Schelburnius nobilis Anglus religioni catholicæ addictus habet jus Patronatus laicale ad quamdam parochiam. Proscripta jam ex illo regno Religione Romanos catho-